381

95



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Lunæ vigesimo-tertio mensis Decembris, anno Domini M. DCC. XLVIII.

M. PETRO-AUGUSTO ADET,
Doctore Medico, Præside.

An Partium durarum Nutritio, eadem ac mollium?

I.



HOMINIS formatio, miraculum. Quot diversæ speciei, variique generis ac usûs, curiosè scrutanti, partes apparent? Hîc molles, ut omittam fluidas, *funes*, *folles*, *cribra*, *canales*, *alvei*, *receptacula*; illîc duræ, *fulcimenta*, *columnæ*, *prœla*, *trabes*, *propugnacula*, *cunei*, *vectes*. Horum instrumentorum ope, causâ movente concessâ, corpus vivit, crescit, nutritur. Quandiù causis externis non turbatur, illæsaque perstat stabilita semel in-

ter has partes harmonia ; ſanitate gaudet corpus. Artificium nec mirare minùs, quo partium conſervationi invigilet provida natura, quo, continuo motu agitatæ, aſſiduo tritu comminutæ, perpetuo halitu avolantes, reparentur, reſarciantur, eâdemque proportione redintegrentur. Hæc functio, quædam eſt continuata generatio, nutritionis nomine inſignita; in infantiâ plenior, in adoleſcentiâ ſufficiens, in virilitate minor, in ſenectute ferè nulla. Hanc peragit ſuccus ſubtilis, dulcis, indeſinenter è chylo renovatus; roris ad inſtar omnes partes indiſcriminatim alluit, penetrat ac pervadit; illis, ultimos vaſorum receſſus lambendo, ſeſe agglutinat; jamque compoſitarum indolem induit; cujus ex fonte partes omnes ortum & incrementum ſuſcipere valent. Hujus jugi appoſitione, eodemque mechaniſmo, nutriri non molles tantùm, ſed etiam duras quis dubitet?

I I.

TAM beneficum in corpore venaris ſuccum! Præſtò ſit lympha; variis organis, canaliculis pulſatilibus tenuata, fibris oſcillantibus lævigata, ab omni ſordium genere, ſecretionibus, mundata, humor cæterorum primævus, gelatinoſus, ſibi propriorum, ſanguiniſque rubram partem abnuentium permeat intima vaſorum penetralia; in ultimis hiſce vaſorum extremorum propaginibus imminuta capacitas, ac languida facta vis propellens, motum conciliat placidum, lentum & æqualem, qui deperditarum particularum reparationi, novarumque appoſitioni favet, & nutritii ſucci ſeparationem plurimùm adjuvat. Integrum nutritionis opus ſanguini committentium opinioni recta refragatur ratio. Hallucinantur hi; nutritio ante ſanguificationem peragitur. Lymphâ nutritur utero concluſus Embryo. Colore rubro ſpoliantur partes calidâ multotiès immerſæ; fundent gelatinam lymphæ omninò ſimilem, imò in mucaginem abibunt carnes, membranæ, cartilagines, & ipſamet oſſa diuturniori Papinianæ machinæ calore cocta. Motum hunc lentum, placidum & æqualem, neceſſarium elaborationi lymphæ, deberi & imminutæ capillarium capacitati & languidiori factæ illorum vaſorum vi motrici dubitabit nemò, qui attendet quòd alioquin apponendæ partes nimio ſanguinis raperentur motu, ut agglutinari & vacua ſpatiola occupare valerent. Reſtat ergò ex ſuprà dictis phænomenis, ut ſolis in minimis vaſis efficiatur nutritio, ut ſola nutritionis materiam ſubminiſtret lympha, cæterique reſpuantur humores.

I I I.

OMNES corporis partes iiſdem gaudere primordiis; totius corporis ita compactam eſſe œconomiam, ut ex minoribus conſtent partibus majores; vaſa majora ex membranis; membranæ ex minimis vaſculis; minima ex tenuiſſimis fibrillis tanquàm ex elementis; hancque diviſionem in infinitum ferè protrahi probant injectiones, microſcopia, Embryonis examen; omnia enim mollia videre eſt, omnia vaſculoſa, etſi nullo diſcrimine ſenſibili notanda, filamentis interjectis, quæ firmandarum poſteà partium delineamenta ſunt, à cerebro medullâque ſpinali emiſſis, tenerrimis, fluida ferè æmulantibus. Pro diverſis incrementi temporibus, multiplices exurgunt

mutationes; ex vasculis plurimis simul adjunctis; accedente nutritione elongatis, concrescit unica fibra, solidior indè, quam robustiorem præstat de novo accedens succus nutritius; crescit usque dum ultrà nequeat elongari. Plurimæ posthàc fibræ majores adunantur, firmantur. Repentia tunc vasa premuntur, imminuitur eorum diameter, minori quantitate succum hauriunt, humoris relentescit motus; ultimis vasorum finibus hærens congelascit liquor, obstaculum ponè allabentis succi guttulæ; callo obducitur vas istud, congelascentibus itidem & successivè sequentibus guttulis totum vas oppletur. Prementibus superpositis partibus brevì complanatur. Fiet lamella sivè squamula; succedunt lamellarum series, re eodem modo pluribus in tubulis se mutuò tangentibus peractâ, ossis sic per strata solidescit pars; non indè soliditatem nanciscuntur æqualem cunctæ ossium partes, non æquè durescunt ossa, sed prout imminuitur vasorum numerus, plùs ad osseam consistentiam accedent partes; sic facilè concipitur cur in senibus ossa quàm in junioribus duriora, & cur quædam partes, naturali compage molliores, osseam duritiem sæpiùs induant. Deletâ tunc in minimis vasis oscillatione, lymphæ, vasculis negantibus aditum, arescunt intimè minùs humentes; patet cur frequentes in senibus fracturæ adeò difficilè sanentur; quæ frequentiores forent ni præcaveret oleosa materies, ossis cavo conclusa medulla, pingui quâ constat parte fibras oblinendo.

IV.

MOLLIUM seu carnearum partium à duris discrepantiæ causam facillimè detegendam quivis reputabit attendendo; quòd faciliùs citiùsque nutriantur quæ sunt toti corpori fulcimentum præstituræ partes; quòd molles delicatiori texturâ, numerosiori vasorum copiâ luxurient ac irrigentur, illud arguit color; quòd indesinenter avolent ex iis particulæ jugiter reponendæ; quòd pinguedinis beneficio è cellulis continuò fluentis durities arceatur. Ast non affatim nutriuntur musculi ipsi, toti quanti sunt, neque membranæ; sed ut in ossibus, extrema & minima quibus constant vascula; tùm necessariò tunicæ quibus conflantur majora vasa, resarciuntur, & sic ex his nutritis integer sequitur grandiorum vasorum, & sic, integrarum partium nutricatus. Lympham, sive succum eumdem, in his & illis solam nutritioni symbolum præstare nonne demonstrant lymphæ vitiatæ morbi? Nonne sicut carnes gangrænâ, divexantur ossa carie? Cur atrophiâ corripiuntur partes molles & osseæ in dorsali tabe confectis, rhumatismo laborantibus, vel venereâ labe contactis; in promptu causa est, lympha vitiatur, spissior fit & acrior, nedum Balsamo reficiat quo indigent partes, minima vellicat vasa, crispat, corrodit; motus inde in ipsis perturbatur placidus, lenis & æqualis, partium appositioni necessarius. Eadem dicenda de senili atrophiâ mortis nunciâ; fibris nimiùm rigescentibus nutritione defraudantur partes; non sufficienti quantitate, fit novarum succi particularum appositio; nonne violentis capitis doloribus, febribus inflammatoriis lympham inspissantibus, & veluti coquentibus succedit capillamenti defluvium, nullâ arte sistendum, quin lympha tenuetur, inspissata renovetur, propriaque munia subire valeat?

V.

SIC formationis ac nutritionis ſtabilito ſyſtemate, Naturam ſimpliciſſimam in opere noſcas, univocamque ſemper operandi viam ſumere, eumdem in duris ac in mollibus partibus nutriendis impendendo ſuccum, quem rorem, gluten, & cambium vocarunt antiqui, unico nomine lymphæ deſignandum. Exulent ergò fictitiæ ubique ſparſæ glandulæ in quibus nidulatur lympha, exulent & pariter gratis ſuppoſiti pori quorum intra interſtitia ſecedit idem ſuccus, ope toni fibrarum agglutinandus. At formantur, inquiunt, oſſa cujuſque perioſtei lamellæ ſucceſſivâ induratione. Eſto pars exterior oſſis ita induretur, quid contrà nos? ſi ſucceſſivâ ſtaminum obſtructione, canales fiant fibræ, ut expoſuimus; at quomodò pars interna oſſis, quomodò Epiphyſes & Cartilagines perioſteo deſtitutæ poſſent *oſſificari?* Qui fieret dentium induratio, mucoſæ primò conſiſtentiæ, ſucceſſuque temporis ita ſolidorum, ut firmiora incidantur, atterantur, molantur alimenta in chylum convertenda & ſuccum nutritium ſive lympham tùm mollium tùm durarum corporis partium commune pabulum ſubminiſtratura?

Ergò Partium durarum Nutritio, eadem ac mollium.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Urbanus de Vandeneſſe.

M. Benjamin-Ludovicus Lucas de Laurembert.

M. Michael-Philippus Bouvart, Profeſſor Regius & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Theodorus Baron, Artis infectoriæ, necnon Rei metallicæ Inquiſitor à Conſilio Regio Præpoſitus.

M. Leander Peaget, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Caſtelleto.

M. Michael-Joſephus Majault.

M. Andreas Cantwel, Regiæ Societatis Londinenſis Socius & Chirurgiæ Profeſſor deſignatus.

M. Ludovicus-Alexander Vieillard.

M. Joannes Herment, Antiquior Scholæ Magiſter & Medicus Regis ordinarius.

Proponebat Pariſiis MARTINUS NOUGUEZ, Adurenſis, è Comitatu Armeniaco, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1748, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1748.